

ubi quasi domicilium adeptus est. Confer Benedictum XIV in cit. Constit. Pariter ob defectum domicilii vel quasi domicilii, qui rei familiaris aut rusticationis causa rus pergit, ibique ad tempus commoratur, invalide coram Parocho rurali nuptias contrahit. Hinc S. Congregatio Concilii in *una Urbinate*. 1 Decemb. 1640, « inhaerendo declarationibus alias factis respondit, Parochum ruralem non esse proprium et verum Parochum, quando rus itur causa recreationis aut pro rusticanis negotiis: ideoque matrimonium valide coram hujusmodi Parocho celebrari non posse. »

Contra vero Praetores, Judices, Medici, facultatum Professores, Discipuli, licet exteri sint, rite matrimonium contrahunt coram Parocho loci in quo versantur, quod saepius respondit S. Congregatio Concilii apud Benedictum XIV Institut. Eccl. 33.

Quod vero ad famulos pertinet, eadem Congregatio ab Episcopo Eugubino sententiam rogata: « An matrimoniis famulorum assistere debeat Parochus domicilii paterni, seu potius alter in cujus Parochia puellae famulatum praestant, » sub die 24 Maii 1788 respondit: « Episcopus per suum decretum jubeat, ut matrimoniis puellarum quae famulatum Eugubii praestant, assistat Parochus domicilii paterni, materni, fraterni ejusdem puellae, quatenus illud habeant in eadem Civitate; si non habeant, assistat Parochus domicilii in quo degunt, quatenus in eadem civitate matrimonium contrahant. » De iis vero qui carceribus detinentur, distinctione opus est. Hominum nonnulli perpetuo, vel ad certum tempus carcere damnati sunt in poenam criminis: nonnulli vero detinentur in carcere ob custodiam quoad sententia a Judice proferatur. Priorum proprius Parochus ad effectum assistendi matrimonio censetur is esse, in cujus Paroecia situs est carcer: « Relegatus enim in eo loco in quo relegatus est, interim necessarium habet domicilium, » ut habetur L. FILII ff. ad Munic.; posteriorum autem proprius Parochus est, qui curam animarum

habet in eo loco, in quo qui carcere detinetur, domicilium habet. Matrimonia Alumnorum qui in Seminariis et Collegiis instituuntur, itemque puellarum quae in septis Monialium educantur, coram Parocho domicilii si illud habeant, ineunda sunt; sin minus coram eo Parocho, in cujus Paroecia Seminarium, Collegium, aut Monasterium situm est. Puellae autem expositae in spuriorum hospitio degentes, ex Declaratione Congregat. Concilii diei 11 Aprilis 1651 conjugium inire debent coram Parocho, cujus Paroeciae hospitium subest. Denique de vagorum Parocho dicendum est.

Vagi sunt qui, suo relicto domicilio, sedem in exteris terris inquirunt; quod didicimus ex L. EJUS § *Celsus* ff. ad Munic. ubi haec habentur: « Puto autem et hoc procedere posse, si quis domicilio relicto navigat, vel iter faciens quaerat, quo se conferat, atque ubi consistat; nam hunc puto sine domicilio esse. » A vagis autem differunt peregrini quia voluntate iter faciunt, ut ad pristinum domicilium, exacta peregrinatione, revertantur. Proprius vagorum Parochus est in cujus parochia versantur, cum inire matrimonium volunt; idque etiam obtinet, licet eorum duntaxat alter numero vagorum adscribatur. Parochi tamen, ex praecepto Concilii Tridentini sess. 24 cap. 7 de Refor. Matr., caveant « ne vagorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. » Si tamen de facto assisterent absque tali licentia, quamvis peccarent, matrimonium tamen valeret, quia tam sunt Parochi talium, quam Episcopus eorum Ordinarius, ut observant Sylvius, Ledesma, Sanchez, aliique plures.

Praeter Parochum duo aut tres testes matrimonio interesse debent, ut valide ineatur. Verum cum nullam in eis peculiarem qualitatem postulet S. Synodus, hinc nuptiis contrahendis possunt esse testes quicumque usu rationis pollent, et secundum jus naturae habiles et apti sunt ad ferendum testimonium sive impuberes, sive consanguinei, sive domestici,

sive religiosi, sive foeminae, sive infideles, sive excommunicati, sive haeretici, aliique demum etiam jure positivo ad testimonium dicendum inhabiles, modo non per vices, sed uno simul eodemque tempore celebrationi nuptiarum intersint. Validum quoque matrimonium est, etiamsi Parochus et testes non sponte, sed fortuito aut dolo inducti, aut coacti et inviti, imo etiam contradicentes aut dissidentes adfuerint: finis enim Tridentini Decreti, quo ipsorum praesentia ad testimonium de contracto matrimonio duntaxat perhibendum requiritur, satis obtinetur, utcumque ipsi adsint, modo quid ageretur intellexerint. Quamobrem illud tantum postulatur, ut praesentia Parochi et testium non sit mere physica et materialis, sed etiam moralis, ut scilicet contrahentes videant, et vel eorum verba audiant vel ea non percipientes, signa saltem videant, quibus mutuus utriusque contrahentis sensus significetur. Qui enim poterunt de contracto matrimonio testimonium Ecclesiae reddere, nisi quid ageretur intellexerint? « Coram Titio aliquid facere jussus non videtur praesente eo fecisse, nisi id intelligat. Itaque si furiosus aut infans sit, aut dormiat, non videtur coram fecisse, » ut habemus in L. CORAM ff. de V. S. Quamobrem S. Congregatio Concilii ad 4 dubium eidem propositum ab Episcopo Giennensi: « Si Sacerdos adfuerit, nihil tamen eorum quae agebantur, vidit, neque audivit; utrum tale matrimonium valide contrahatur, vel potius tanquam sine Sacerdote nullius sit ponderis et momenti? » respondit: « Non valere, si Sacerdos non intellexit, nisi tamen affectasset non intelligere. » Postrema haec S. Congregationis verba quum paulo subobscura sint, affabre explicantur a Benedicto XIV, lib. 13 de Synod. Dioecesis. cap. 23, his ferme verbis: Verus illorum verborum sensus est, matrimonium validum fore quod celebratum fuerit coram Parocho qui nec vidit, nec intellexit, si ipse sibi in causa fuit ut non videret, nec intelligeret, propterea quod vel aures sibi obstruxerit, vel faciem velaverit ne audire vel aspicere cogeretur.

Neque enim ulla haberi debet ratio affectatae ignorantiae illius qui cum videre et audire commode posset, ipse sibi voluntarium posuit impedimentum ne videret audiretque, neque aequum est, ut ab arbitrio factoque Parochi pendeat libertatem matrimonii impedire. Adnitendum quidem Parocho pro viribus est, ut hujusmodi matrimonia fieri prohibeat, multoque magis eidem cavendum est, ne eorum celebrationi voluntariam praesentiam exhibeat. Ex his tamen hoc tantummodo sequitur, ut ipse data opera non debeat iis interesse, ut occasionem praestandae eisdem assistentiae, quantum fas, evitare teneatur. Ut etiam forte circumventus aliove obtentu accersitus fuerit contrahentes serio monere debeat, matrimonia hujusmodi sine gravi culpa celebrari non posse, sibi autem dictam esse legem, ut eosdem contrahentes, si id quod deliberarunt, reipsa perfecerint, ad Superiorem deferat a quo gravi poena plectendi erunt, praeterea se et animo et voluntate a praestanda eorum nuptiis praesentia longe abhorrere, cum hujusmodi contrahendi ratio a Sacris Canonibus reprobetur. At necesse non est aures obturare, velare faciem, aliaque hujus generis facere quae ad id solum valent, ut animos contrahentium aliquando scrupuli torqueant qui scilicet quamvis ut plurimum nesciant illicita ab invalidis distinguere, adhuc tamen non solum matrimonium, uti destinaverant contrahere, sed etiam consummare non praetermittunt; utrumque enim perficere in animo habent, quoties circumvento aut deprehenso Parocho, coram eo proferunt verba ad mutuum consensum significandum idonea. Hactenus Benedictus XIV, loc. cit.

De locis autem, ubi Concilium Tridentinum non est publicatum, S. Congregatio Concilii apud Zipeum lib. 4 de Sponsal. ita censuit: 1. « Ubi decretum ejusdem Concilii non est publicatum, valere matrimonia contracta absque observantia formae a Concilio praescriptae. 2. Publicationem praesumi, ubi decretum fuit aliquo tempore in Parochia tanquam decre-

tum Concilii observatum. 3. Haereticos quoque, ubi decretum est publicatum, teneri talem formam observare, at propterea etiam ipsorum matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram ministro haeretico, vel Magistratu loci contracta, irrita atque nulla esse. 4. Ubi constat Concilium esse publicatum, vel aliquo tempore in Parochia tanquam decretum Concilii observatum, sed Parochialis Ecclesia, utpote vacans, proprio Parocho careat, et Cathedralis itidem Episcopo atque Capitulo habentibus a Concilio facultatem alium Sacerdotem ad id delegandi, nullusque alius ibi sit, qui vices Parochi vel Episcopi suppleat, matrimonium valere absque praesentia Parochi, servata tamen in eo, in quo potest, forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus. 5. Si exstent quidem Parochus et Episcopus, et uterque nullo constituto Vicario, metu haereticorum lateat, ita ut vere ignoretur ubinam sit, vel eodem metu a Dioecesi absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus, validum est matrimonium contractum absque forma, adhibitis tamen, ut dictum est, duobus testibus. »

§ 192.

DE RAPTO.

Raptus est violenta foeminae abductio matrimonii ineundi causa. Leges Imperiales quae referuntur in Codice Theodosiano lib. 9 tit. 24 de Rapt. Virg. et Vid., et Lex unic. Cod. Justin. eod. tit. adeo crimen Raptus detestatae sunt, ut matrimonium inter raptorem et raptam nullo unquam tempore nec subsequenti ipsius raptae spontaneo consensu, nec parentum ratihabitione amplius consistere posse decreverint. At Ecclesiae legibus matrimonium inter raptorem et raptam nullum habebatur, quamdiu consensus raptae deerat; si enim puella etiam in potestate raptoris non amplius invita, sed volens lubensque consensisset, matrimonium efficiebatur; quod

plures Synodi particulares edixerunt, et Innocentius III decrevit cap. 7 de Raptor. his verbis : « Rapta puella legitime contrahet cum raptore, si prior dissensio transeat postmodum in consensum, et quod antea displicuit, tandem incipiat complacere. » At vero Tridentina Synodus sess. 24 cap. 7 de Reform. Matr. decrevit : « Inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse subsistere matrimonium : quod si rapta a raptore separata, et in loco tuto ac libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat. » Quamobrem vulgo fertur, novum raptus impedimentum a Synodo Tridentina inductum esse, non solum quod recenserit a placitis civilium legum, dum inter raptorem et raptam nuptias dirimit non perpetuo quidem, sed quoad haec in illius potestate manserit, verum etiam quod recedit a jure Decretalium in cit. cap. de Raptor., quatenus consensus raptae ad contrahendas nuptias ineptum fore constituit, nisi a raptore separata et in loco tuto ac libero constituta consensum ipsum praestiterit. Unde comperit, raptum ex jure Decretalium non aliam ob causam validitati nuptiarum obstatisse, nisi ob vim illatam et defectum liberi consensus, quod impedimentum est juris naturalis. Ex decreto autem Tridentini raptus irritat nuptias jure etiam ecclesiastico, quum scilicet manente rapta in potestate raptoris matrimonium nullum et irritum est, quamvis puella rapta non animo repugnante, sed ultro, libenterque consenserit.

Aliqui Canonistae distinguunt duplicem raptus speciem; alterum appellant raptum violentum, alterum fraudulentum. Raptus violentus is est quem supra definivimus, quo scilicet persona invita ac renitens per vim abducitur animo matrimonium cum ipsa contrahendi. Quare ad raptum violentum haec duo postulantur, violentia et abductio. In primis itaque requiritur, ut mulier per vim seu physicam, cujusmodi est violenta manuum injectio; sive moralem, uti graves minae,

gravisque metus, sive ab ipso raptore sive a mandatario illam abducatur: si enim solae adhibeantur importunae preces, nisi tales sint, ut violentiae aequiparentur, non erit raptus violentus. Itemque si mulier consentiat raptui, quamvis violentiam patiantur parentes, raptus non erit violentus: in hoc enim raptu violentia existimatur respectu solius personae quae rapitur. Cum denique vim inferre non censeatur qui aliquod jus in raptam consequutus est, hinc Doctores colligunt violentum raptum non haberi, si post contracta sponsalia vel invita rapiatur, nisi justam ab initis sponsalibus recedendi causam habeat. « Sponsus, » inquit S. Thomas 2 2 quaest. 154 a 7 ad 4. « ex ipsa desponsatione habet aliquod jus in sua sponsa, et ideo quamvis peccet violentiam inferendo, excusatur a crimine raptus. » Secundum requiritur, ut mulier de loco ad locum moraliter diversum reipsa abducatur, eoque raptu ad nuptias ineundas adigatur; neque enim raptor est, aut dici potest qui puellam in aliqua domo repositam ibi opprimat, aut ab uno cubiculo ad aliud abducatur libidinis explendae causa.

Raptus fraudulentus is est, quo ob eundem finem matrimonii ineundi puella aut filiusfamilias precibus, suasionibus, pollicitationibus, aliisque blandis artibus seducitur, ut lubenti animo raptorem ipsum sequatur, parentibus insciis vel invitis: ex quo fit, ut etiam raptus seductionis appelletur. Qua de re ad raptum fraudulentiae vel seductionis tria desiderantur: 1. Abductio personae seductae ad nuptias contrahendas perpetrata, aut ejusdem personae spontanea fuga cum seductore praemeditata. 2. Minor aetas ipsius personae seductae; nam viginti quinque annis majores non jam seductionis capaces, quantum ad matrimonium spectat, existimantur. 3. Injuria parentum, quod nempe iis insciis vel repugnantibus abducatur: nomine autem parentum veniunt omnes, quorum legitima potestati persona seducta obnoxia est. His positis nemo dubitat, quin raptus ex cit. can. Tridentini

impedimentum sit inter raptorem et raptam matrimonium dirimens, sed hujusmodi impedimentum perseverat, quoad in potestate raptoris rapta maneat. Idque merito sancitum est, ut nuptiarum libertati plenius consulereetur. Praesumitur enim, quod persona rapta, quamdiu in potestate raptoris est, metu potius quam voluntate consentiat. Sed controversia est de raptu seductionis, utrum Tridentini decreto contineatur. Plerique Theologi, et Canonistae Gallicani affirmant: 1. Quia seductio veram habet rationem raptus: « Violentia, » inquit S. Thomas 2 2 quaest. 154 a 7, « quandoque infertur tam ipsi virgini, quam patri, quandoque vero infertur patri, non ipsi virgini: puta cum ipsa consentit, ut per violentiam de domo patris abstrahatur, qualitercumque enim violentia adsit, salvatur ratio raptus. » Jam vero Synodus Tridentina inter impedimenta dirimentia raptum generatim refert, quin inter violentiae et seductionis raptum distinguat. Non itaque inter utrumque distinctio ponenda est. 2. Quia non minus seductionis, quam violentiae raptus libertati nocet, quin ipsa violentia seductio deterior est. Etenim saepenumero facilius resistitur apertae violentiae quae animum alienat, nedum conciliat, quam fraudulentis persuasionibus quibus filiifamilias scite falluntur, atque, ut ait Albertus Magnus, « persuasio fallax magis offuscat animum volentis quam metus. » Verum haec non adeo momentosa sunt, ut in eam sententiam adducamur. Lex enim Tridentinae Synodi nuptiarum libertatem respicit, quae incolumis et salva manet, cum rapta voluerit et consenserit. Praeterea nihil vitii in raptu seductionis est, quam injuria et dissensus parentum. Ex hoc autem illud quidem consequitur, quod seductores et seducti a gravi peccato non sint excusandi; matrimonia tamen sic contracta non erunt irrita, cum ab ipso Tridentino edictum sit validitatem matrimonii a consensu parentum non pendere. Huc facit cap. CUM CAUSAM de Raptor., in quo Lucius III sic statuit: « Iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris consensum, et prius

eam desponsaverit, quam cognoverit, licet parentes reclamant a quibus dicitur eam rapuisse. » Et S. Thomas, in 4 dist. 18 quaest. unic a 3. « Puella, » inquit, « non est in potestate patris quasi ancilla, ut sui corporis potestatem non habeat. » Ex quo S. Doctoris loco Canonistae communiter inferunt, raptum violentum esse, ac proinde dirimens matrimonii impedimentum, si mulier invita prorsus et renitens, consentientibus tamen parentibus, abducatur. Illud enim secundum jus naturale et ecclesiasticum pro certo habendum est, quod in matrimonio plus potest voluntas ejus qui contrahit, quam parentum.

De rpto violento tria reliqua sunt quae in medium proferamus. Primum illud est, quod Tridentina Synodus in impedimento raptus constituendo, cum non mulieris raptae aetatem et qualitates, sed matrimonii duntaxat libertatem spectaverit, planum inde fit impedimento hujusmodi locum esse, sive mulier sit virgo, sive corrupta, sive vidua, sive etiam meretrix; generalia enim verba legis, ubi eadem praesertim ratio militat, generaliter intelligenda sunt. Alterum est, hoc impedimentum non oriri si mulier virum rapiat, quia decretum Tridentini cum odiosum et poenale sit, stricte accipiendum est. Decretum autem de raptore, non de raptrice verba facit; et quamvis utroque jure expressio masculini sexus foemininum etiam includat, saltem in correlativis ubi par ratio utrinque militat; decretum tamen non de raptoribus in genere, sed de raptoribus qui foeminas abducunt, diserte loquitur. Deinde vero sicuti jura de illis quae raro contingunt, non constituuntur, ita nec de raptricibus vivorum, quae oppido perrarae sunt, quidquam a Concilio constitutum fuisse putandum est. Verum haec sententia multis non arridet, quod S. Synodus, ut inquit, impedimentum raptus ea mente constituit, ut libertatem matrimonii tueretur. Haec autem libertas perinde laeditur, si foemina rapiat virum, ac si vir foeminam rapiat. Quemadmodum si mulier viro gravem et

injustum metum injiceret, licet raro admodum contingere possit, impedimentum metus oriretur. Confer Pichler in lib. 4 Decret. tit. 1 n. 120, 121. Tertio denique in cit. Tridentini decreto adversus raptorem constitutae sunt poenae quae sequuntur: « Quod si rapta a raptore separata, et in loco tuto ac libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat; et nihilominus raptor ipse et omnes consilium, auxilium, et favorem illi praebentes sint ipso jure excommunicati, et perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, et si clerici fuerint, de proprio gradu decedant. Teneatur praeterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.

§ 193.

DE IMPEDIMENTORUM RELAXATIONE.

In exponendis impedimentis singulorum originem scrutati sumus. Ea itaque vel a jure naturali et divino, vel a jure humano profecta sunt. Prioris generis impedimenta a nulla potestate humana relaxari possunt; jus enim naturale et divinum humanae potestati non subest. Secundi vero generis impedimenta relaxari possunt ab uno Romano Pontifice, « qui secundum plenitudinem potestatis de jure potest supra jus dispensare, » cap. PROPOSUIT de concess. Praebend. « Quanquam enim, » ut recte animadvertit Drouven lib. 9 de Re Sacram. cap. 4 q. 7, « hoc nullibi legatur antiquis Canonibus constitutum, usus tamen invaluit et generali disciplina receptus, ut pro hujusmodi gratiis obtinendis solus Pontifex Maximus adiri communiter deberet ac posset, et merito quidem tam propter debitam Sedi Apostolicae reverentiam, cui potissimum Canonum observatio et dispensatio divinitus est commissa, tum quia cum impedimenta matrimonium dirimentia vel a Conciliis generalibus, vel a Summis Pontificibus fuerint insti-